quam dehonestare Catonem propter ebrietatem. Hic ego cuperem, ut tu citius
aliqua offensione equo animo tulisses propter Nicolaum, quam tu illum odisses
propter offensionem: si qua inde [illegible] lesevit preter ius amici-
tie. Sed expecto litteras tuas: hec scripsi non tanquam feres rectam
sententiam, sed ut dolens ea que acciderit preter opinionem meam. Ego
autem is sum, qui neque auxerim mea erga Nicolaum benivolentiam,
neque aliqua re diminuerim amorem erga te meum. Quod si diutius
fuissem Florentie forsam perfecissem opus, quod inceperam licet durum.
Tu vale, et si me, ut soles, amas, rescribe sepius. Nam nil michi
iocundius esse potest litteris tuis. Rome die xviii kal. aprilis.

Poggius Florentinus.

Poggius s. p. d. Ricardo secretario episcopi Dicton. Scio amatissi-
me hanc epistolam non levem, ac iocosam, ut reliquie mee
solent ad te mittere institui. Sed seria, ac grave et viro digna:
quam licet pro breve loco munusculi tamen ab homine tibi amatissimo
accipias volo, et ut spero non iniocundum. Nam si ea, que ad ornandum
corpus spectant munera nobis grata esse solent, quanto gratiora
atque acceptiora esse debent, ea que animum nostrum ornare debet possunt et
reddere pulchriorem. Sed siquidem corporis ornamenta rem fragilem componunt,
caducam instabilem ac minime duraturam, et cuius iacturam haud magni
extimandam sapientes censuere. Animi vero ornatus ac de-
cor eternus est, atque immortalis. Cuius negligentia, atque incultus
nobis imposterum, pro magna pena luendus est, quorsum inquies
hoc novum philosophandi genus, ut fungar officio amici. Cuius est
proprium amare alterum, ut se ipsum, et velle ei bene esse. Relatum
est in his diebus a quodam, cum de te rogarem diligenter, te
multo quam soleas pinguiorem, hoc est opulentiorem factum esse, et
plura beneficia consequutum. Quod quidem verum est, et ex animo gavisus sum, si
modo et conscientia ipsa non est una effecta pinguior, et illa sint
tibi vera beneficia futura. In quo cum labor sit permagnus, hec duo tibi
maxime cavenda esse arbitror. Primum ne hec rerum externarum
copia, te ad inopiam redigat virtutis, quod ut plurimum videmus
contingere, tum vero ne hec, que vocant beneficia, tibi ut ceteris pene
omnibus ad maleficium redundent. Si enim animum recte advertere
volueris, invenies plerosque mortalium, dum opes querunt divitias

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1592/0078
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG